

autem omnes communicarunt, prosequuntur neo-Sacerdotes Missam cum pontifice.

10. Dum Episcopus manus lavit, dixitque responsorium: *Jam non dicam vos servos etc.*, mitra tectus ad ordinatos se convertit, qui ante altare coram illo stantes profitentur fidem, quam praedicaturi sunt, recitantes Symbolum Apostolorum, *Credo in Deum Patrem omnipotentem etc.*, quo dicto primus ordinatorum flectit ante Episcopum cum mitra sedentem, qui ei manus imponit, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.* Deinde casulam complicatam explicat, et demittit, dicens: *Stola innocentiae induat te Dominus.* Tum manus suas junctas ponit inter manus Pontificis, cui dicenti: *Promittis superiori tuo Ordinario pro tempore existenti reverentiam et obedientiam?* respondet: *Promitto.* Tum Episcopus dat osculum, dicens: *Pax Domini sit semper tecum,* respondet ordinatus, *Amen,* et facta reverentia recedit ad locum suum, ei secundus, huic tertius succedit, et sic deinceps.

11. Quando omnes ad sua loca reversi sunt, genuflexi excipiunt admonitionem et benedictionem, postea legunt cum Episcopo Communionem et Postcommunionem, cui sub una clausula addunt Postcommunionem pro ordinatis: *Quos tuis, Domine etc.* deinde commemorationes, si quae faciendae sint. Deinde *Benedicamus Domino,* vel *Ite Missa est,* prout tempus exigit. *Placeat tibi sancta Trinitas etc.* ex ordine Missae.

12. Data benedictione ab Episcopo excipiunt ultimam admonitionem, et preces injungenti his verbis: *Ad Presbyteratum vero ordinati post primam vestram Missam, tres alias Missas, videlicet unam de Spiritu Sancto, aliam de B. Maria semper Virgine, tertiam pro fidelibus Defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate,* inclinatione facta, promittunt se facturos. Denique cum Episcopo dicunt, *Dominus vobiscum,* leguntque ultimum Evangelium. Post haec recedunt, et vestes Sacerdotales exuunt.

„Q. Quae privilegia ordinatorum?

„R. Revocari ad quatuor. 1. Est privilegium *fori*, ut immunes sint Clerici a tribunali laico. 2. *Canonis*, quod exprimitur can. 17. q. 4. *Si quis suadente diabolo in Clericum, vel Monachum violentas manus intulerit, anathematis vinculo subjaceat etc.* 3. *Libertas ab oneribus* exigentibus, e. g. officium magistratus, regenda civitatis, tutelae, curatela etc.; vel mediam, e. g. stationes vigiliarum, obire, angarias etc.; vel sordidam, e. g. fodere arenam, purgare aream, lacunas, calefacere balnea etc. 4. *Libertas ab oneribus exigentibus praestationem*, vel tributa; sive haec imponantur immediate *personis*, ut capitatio et c. sive *bonis* Ecclesiasticorum, titulo jurisdictionis de novo, postquam ea jam a Clericis haberi coepta sunt (idem est de bonis *Ecclesiarum*, tam consecratis, quam temporalibus reddituum). Ita *Schmalzgrueber* l. 3. tit. 49. n. 27. cum 25. aliis. *Titulus enim jurisdictionis* exigit praestationes in signum potestatis in uno, et subjectionis in altero, quae non dantur inter statum laicalem et clericalem etc. Accedit Bulla Urbani VIII. *Romanus Pontifex* 1641.

„*Corollar.* 1. Clerici tenentur solummodo ad onera *mixta*, scilicet actiones, per alios submissas praestandas, vecturas equis suis faciendas etc. et *realia*, scilicet dandos sumptus etc. quando alterutra imponuntur titulo 1. *dominii proprietatis particularis*, e. g. si Clerici habeant emphyteuses etc. 2. *Pacti et reservationis*, e. g. si bona prius habuerunt, haec onera, et cum his empta sunt a Clericis. 3. *Necessitatis publicae*,

„e. g. quando tempore belli sunt aeraria exhausta etc. sub limitatione tamen duplici; si non sufficiunt facultates laicorum, et postquam Papa, aut in urgente necessitate Episcopus, et Clerus deliberaverit, consenserit, ac determinaverit, quantum Clerici contribuere debeant. 4. *Impensarum communium*, e. g. ad pontes, fluvios inundantes reficiendos etc. ubi commune est commodum, cum limitatione tamen, quam *Schmalzgrueber* n. 33. etc. 5. *Privilegii Pontificii* laicis Principibus concessi. 6. *Poenae*, ubi ob delictum perdunt sua privilegia, e. g. si Clerici exercent negotiationem proprie talem etc.

„2. Comparere autem, et judicari a *judice laico* Ecclesiastici possunt 1. *in civilibus ob quatuor causas*: quando Ecclesiasticus actionem civilem intentat contra laicum; tenetur actor sequi forum rei; quando Clericus succedit in causam jam coeptam coram iudice saeculari; quando Clericus non convenitur nomine proprio, sed alieno cujusdam laici; quando Clericus est vasallus alicujus laici in causa feudali. 2. *In criminalibus ob tres causas*: si realiter degradetur; si abjecto habitu enormia crimina committat, e. g. latrocinium, seditionem, assassinium etc.; si exerceat artem ignominiosam, et ter ab Episcopo monitus non resipiscat, e. g. histrionem, macellarium, cauponem agat etc. 3. *Privilegium canonis* perdit Clericus, si deprehendatur mulierem ipso facto sollicitare ad turpia, si inveniatur a laico turpiter agere cum uxore, matre, sorore, et filia, si fiet bigamus aut degradetur realiter. Vide *Bonac., Laymann, Filiuc., Eugubin.* decis. fori Eccles. etc.

„*Dices* 1. Clerici sunt *membra reipublicae*; ergo titulo jurisdictionis etc. 2. *Res* transit cum onere ad Ecclesiasticos: ergo et persona cum subjectione sua ad Ecclesiam. 3. Primis Ecclesiae temporibus *parebant* Clerici Imperatoribus ethnicis. 4. Paulus *appellavit ad Caesarem* etc. R. 1. Sunt *membra, sed privilegiata*, et tantum obligata aliunde ad leges municipales. Ad 2. Aliud est in rebus, et ubi non sit *mutatio intrinseca* status: aliud in personis. Ad 3. Ex necessitate et quidem solius *facti* congruentia, ut sic evitetur major tyrannis etc. Ad 4. Tamquam ad iudicem de jure quidem incompetentem, sed necessarium ad vim injustam repellendam; quod autem Justinianus *L. 25. et 33. c. de Epis. et Cler.* potestatem sibi arrogavit in Episcopos, quod Henricus IV. Imp. Benedictum X. deponere attentavit, fuerunt actus irriti, quos correxere tum in *Authen. cassa. C. de SS. Ecclesiis* Fridericus, tum in *Novel. 123.* ipse Justinianus.“

CAPUT VII. De Sacramento matrimonii.

Equidem solum matrimonium, non vero sponsalia proprie ac stricta, habet rationem Sacramenti; cum tamen sponsalia ad illud sint quaedam veluti via et praeparatio, etiam de his ea sunt prius tractanda, quae pertinent ad resolutiones practicas; ac proinde *primo* agemus de natura, effectibus, ac denique de dissolutione sponsalium; *secundo* de matrimonio, ejusque impedimentis.

SECTIO I. De sponsalibus.

ARTICULUS I. De natura et effectibus sponsalium.

§. I. Praenotanda.

1099. I. *Sponsalia* a spondendo dicta sunt, h. e. a sponte promittendo; spontanea enim promissio in hoc contractu maxime requiritur.

Praeterea haec appellatio a veterum Romanorum usu desumitur, apud quos moris erat, ut puella viro promitteretur a patre, vel tutore, vel amicis, sub quorum cura erat; hinc promittens *Sponsor*, puella promissa *Sponsa*, is vero qui repromisit, se eam ducturum in domum suam, *Sponsus*, ipse vero contractus dictus est *Sponsalia*. L. Sponsio. ff. de verborum signif.

1100. II. Sponsalia sumuntur tripliciter. *Primo*, minus proprie significant munera a sponso data sponsae, ut l. Reg. 18. *Non habet Rex sponsalia necesse*. Et juxta L. 1. c. *Si nuptiae ex rescripto*. *Secundo*, magis proprie et frequentius sumuntur pro matrimonio de praesenti contracto copula nondum consummato, et sic non differunt a matrimonio rato tantum; qua acceptione dictum est Matth. 1. *Cum esset desponsata Maria Joseph*. Et in eodem c. Maria appellatur conjux Josephi: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Hinc etiam conjuges post benedictionem coram Sacerdote prima nuptiarum die communiter adhuc *sponsus et sponsa* a matrimonio rato vocantur. Vide c. *Tertio loco*. 13. de praesumpt. Item c. 2. et fin. de sponsa duorum. Et c. *Qui desponsatam* 12. XXVII. q. 2. *Tertio*, proprie sumuntur pro futuri matrimonii promissione. Notandum hic, quod improprie subinde sumantur uxor pro sponsa, ut *Genes*. 19. Jacob dixit ad Laban: *Da mihi uxorem meam*, quae tamen tantum ipsi erat promissa. Sic etiam c. *Juvenis*, de sponsal. sponsa de futuro vocatur uxor. Sponsalia in dubio sumuntur pro futuri matrimonii promissione, ut arguitur ex c. *In nostra*. de injuriis. Et l. 3. §. *Haec verba*. ff. de negotiis gestis. Similiter in dubio nomen *Sponsi et Sponsae* accipitur pro iis, qui matrimonium futurum promiserunt; in favorabilibus tamen, (non vero odiosis) juxta *Th. Sanchez*. L. 1. de sponsal. d. 1. a n. 2. nomine matrimonii etiam sponsalia, et nomine uxoris, mariti vel conjugem, sponsi vel sponsae designantur, et vicissim, ut arguitur ex L. 5. *Non sine*. c. de bonis, quae liberis. Et c. *Odia*. 15. R. J. in 6. 5. quam regulam tamen limitat *Kugler* P. I. de sponsal. §. 1. n. 2. cum *Laym.* scil. nisi ex adjunctis aliud colligi debeat, et nisi alicubi aliud vel ipsa lex exprimat, vel communis aut frequens usus loquendi suadeat, vel ratio legis et mens legislatoris, aut disponentium intendat. Exempla vide apud *König* super Tit. de spons. n. 4. Porro ad cognoscendum, quando dispositio dicatur favorabilis, et quando odiosa, juxta *Sanch.* l. c. n. 4. considerandum est intentum primum disponentis; si enim id primario sit in favorem alicujus aliquid statuere, est favorabilis; licet in damnum et odium alterius redundet. Si vero primum intentum sit in alicujus odium et poenam, est odiosa, quamvis cedat in favorem alterius. Agemus nunc potissimum de sponsalibus tertio modo spectatis.

§. II. *Principia generalia de requisitis ad vera sponsalia, et eorum effectibus.*

1101. *Principium I.* Sponsalia recte quidem dicuntur *futurarum nuptiarum promissa* juxta c. *Nostrates*. 3. XXX. q. 5. vel *mentio et repromissio futurarum nuptiarum* juxta L. 1. ff. de sponsal. Clarius tamen, ut omnes conditiones essentielles exprimentur, dicuntur *promissio vera, voluntaria, deliberata et mutua signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas jure habiles*. Ita *P. Kugler* cum *Illung* et communi TT. l. c. n. 2. Unde sponsalia, ut sint valida, debent habere sequentes conditiones, ex quibus, si una vel altera deficiat, Confessarius tuto poterit resolvere, eum, a quo forte consulitur, non obligari sub contractu sponsalicio.

1102. *Primo* debent esse *promissio*; solum enim propositum non

sufficit, cum non inducat obligationem. Intellegitur autem *vera ac seria* matrimonii promissio, h. e. facta animo ac intentione se obligandi, ita ut non sufficiat ficta et simulata. *Ratio* est, quia ficta promissio non est propria promissio, qualis tamen essentialiter requiritur in definitione sponsalium ex utroque jure allata. *Confirm.* 1. Ubi ficta promissio est, ibi deest consensus internus, sive animus se obligandi ad matrimonium; ergo hoc ipso nulla sunt sponsalia, et obligatio nulla. *Confirm.* 2. Obligatio promissionis oritur ex privata lege, quam sibi promittens imponit; ergo sicut nulla lex obligat, nisi legislator obligare intendat, ita a pari. *Confirm.* 3. ex c. unic. h. t. in 6. ubi sponsalia dicuntur *nulla ex defectu consensus*. Et can. *Ubi non est*, unic. XXX. q. 2. expresse habetur: *Ubi non est consensus utriusque, non est conjugium*. Nec sufficit, quod fide promittens exhibeat consensum externum; hic enim sine consensu interno non valet ad inducendam obligationem, ut constat ex *Tua nos*. 26. h. t. ubi in fine expresse habetur, quod sine consensu caetera (scil. dolus externus etc.) nequeant foedus perficere conjugale. Et juxta c. *An humanae aures*. 11. XXII. q. 5. *Non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem*. Accedit tritum illud: *Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum*. 1103. *Secundo* requiritur, ut *promissio sit perfecte deliberata, et perfecte ac directe voluntaria*. Haec deliberatio supponit 1. *Usus rationis*, 2. *usum rationis expeditum*, 3. *usum rationis perfectum*; per quem obligatio sponsalium directe cognoscatur; item ut cognoscatur id, quod promittitur, absque errore tum circa personam, quacum contrahitur, tum circa conditiones ad talem contractum essentialiter requisitas. Dixi etiam, *perfecte ac directe voluntaria*, ita ut includat directam intentionem se obligandi. *Ratio* est, quia haec promissio inducit gravem obligationem justitiae, quam nemo censetur velle sibi imponere, nisi cum plena advertentia, et deliberatione. Juxta *Sanch.* l. 1. de spons. d. 8. n. 5. requiritur et sufficit talis advertentia et deliberatio, qualis requiritur et sufficit ad committendum peccatum mortale; quia sponsalia suapte natura obligant sub mortali; ergo requirunt deliberationem ad mortale requisitam. Deinde talis deliberatio sufficit ad votum, juxta c. *Sunt, qui opes*. 17. q. 4. c. *veniens*, de voto; ergo etiam sufficit ad sponsalia. Adde tamen hoc discrimen, quod ad peccandum sufficiat voluntarium et liberum in causa, sive indirectum, non item ad sponsalia, nec ad votum. Vide infra n. 1130. *Confirm.* Jus c. *Litteras*. c. *Ad dissolvendum*, de despons. impub. praescribit septennium ad contrahenda sponsalia, quia in ea aetate, nisi manifeste contrarium aliunde appareat, praesumitur usus rationis; et e contrario ante septennium ordinarie non adest sufficiens deliberatio ad graviter peccandum, nisi malitia suppleat aetatem, sive usus rationis eam antevertat. Addit hic *Sporer* p. 4. c. 1. sect. 2. de spons. n. 159. cum *Bonac.*, quod per accidens tum requiratur major deliberatio, quando cognoscitur periculum, vel adest prudens dubium, ne subsit defectus, ex quo sponsalia aliunde sint nulla. Valida tamen esse sponsalia inita ante septennium; si malitia suppleat aetatem, sive si certo constet, adesse usum rationis capacem peccati mortalis, affirmant plurimi gravissimi TT. et Canonistae, apud *Kugler* l. c. n. 79. contra *Panormit.*, *König*, *Mastrium*, et alios. 1104. *Tertio* requiritur *mutua promissio*. Patet. ex L. 1. ff. de spons., ubi expresse sponsalia dicuntur *mentio et repromissio nuptiarum futurarum*. Deinde sponsalia non numerantur (ut ait *Laym.* l. 5. t. 10. c. 1. n. 2.) inter simplices promissiones, sed inter contractus onerosos, qui

ultra citroque obligant; ergo etiam ex utraque parte exigunt promissionem. Ideoque non sufficit, ut una pars tantum acceptet promissionem alterius, sed insuper requiritur, ut altera quoque pars repromittat, vi cuius illa quoque vicissim se obliget ad matrimonium suo tempore contrahendum; sola enim acceptatio post se non trahit obligationem praedictam. Unde communis fere DD. sententia apud *Laym.* l. c. est, quod *sponsaliorum contractus claudicare non potest*; h. e. ex una tantum parte contrahentium obligare, scilicet tum, quando fit contractus.

1105. Quarto requiritur, ut utraque promissio signo externo vel sensibili sit expressa; quia sine manifestatione aliqua non potest inter homines fieri contractus, nec acceptari promissio; ideoque nec oriri obligatio. *Confirm.* Promissio solo animo concepta ab alio ignoratur; ergo ab illo non potest acceptari. Nec tamen necessaria sunt determinata et sola verba, quia a jure nullibi sola verba determinata sunt; itaque sufficient illa verba vel signa externa, quae sufficienter consensum internum contrahentibus expriment. *Palao* de spons. d. 1. punct. 3. num. 119.

1106. Denique quinto requiritur, ut promissio fiat inter personas jure habiles, scilicet inter eas, inter quas matrimonium aliquando valide et licite consistere possit, pro eo scilicet tempore, quo sponsalium obligatio est adimplenda. Porro ad hanc habilitatem contrahendi requiritur primo, ut mas et foemina contrahentes nullum impedimentum matrimonii habeant, quia cum sponsalia sint promissio futuri matrimonii, ut valida sint, debent esse promissio validi et liciti matrimonii, hoc ipso, quod promissio etiam jurata rei impossibilis aut illicitae non valeat juxta reg. 58. Jur. in 6. Secundo contrahentes debent habere aetatem a jure requisitam, scilicet septennium regulariter completum, ut patet ex c. *Litteras* 4. c. *Accessit* 5. c. *Ad dissolvendum*. 13. l. 4. Decret. tit. 2. de despons. impub. Item ex c. un. in 6. eod. tit. Item ex l. *In sponsal.* 14. ff. de sponsal. Ratio data est n. 1103.

Denique alii ad sponsalia adhuc alias condiciones requirunt, praesertim ut sint libera ab errore circa personam, quia alias deest substantialis consensus. Item ut sint libera a gravi metu injuste incusso, de quo in resol. casuum.

1107. Principium II. Sponsalia duos potissimum effectus habent, scilicet naturalem et canonicum. Primo enim ex justitia et sub peccato gravi contrahentes utrinque obligant ad ineundum suo tempore matrimonium. Ratio est, quia omnis contractus onerosus obligat ex justitia, et graviter in re gravi: atqui sponsalia sunt contractus onerosus inducens mutuam obligationem, et materia est gravis, quia magna injuria infertur alteri, si sponsalia non impleantur; ergo. Ita comm. DD. Arguitur ex can. de spons. 46. can. *de conjugali*. 50. causa 27. q. 2. Item ex c. *Ex litteris*. 10. c. *Requisivit*. 17. l. 4. Decret. Tit. 1.

1108. Secundo inducunt sponsalia impedimentum publicae honestatis, h. e. inchoatam quamdam affinitatem inter sponsum et consanguineos sponsae, et vicissim, vi cuius species quaedam inhonestatis est, in uxorem velle habere consanguineam sponsae, cui quis, licet necdum corpore, animo tamen et promissione conjunctus est. Hoc impedimentum jure novo Tridentini tantum se extendit ad gradum primum consanguinitatis; sessus enim 24. c. 3. de reform. matrim. ita statuit: *Justitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.*

§. III. Resolutiones casuum de essentia et effectibus sponsalium.

CASUS I. De ficta promissione.

Onuphrius, postquam festo encaniorum diu saltaverat cum *Ottilia*, eidem coram multis aliis promittit futuras nuptias verbis quidem claris, animo autem nec promittendi, nec se obligandi. *Ottilia* statim repromittit; paucis tamen post diebus videt *Onuphrium* familiariter agentem cum alia puella, ideoque illum faciae promissionis admonet, qui mox rotunde negat, seriam fuisse promissionem.

1109. Q. I. An *Onuphrius* in conscientia contraxerit obligationem ducendi *Ottiliam* stante ficta promissione? R. Negative: quia promissioni defuit consensus internus; ergo nec fuit vera promissio, nec inde oritur obligatio ducendi *Ottiliam* juxta dicta n. 1102. *Laym.* l. 5. t. 10. c. 10. n. 10. addit: *Si autem puella decepta, damnum aliquod passa est, id ei secundum justitiae aequalitatem compensari debet.* *Palao* de spons. d. 1. punct. 2. n. 2. sub distinctione respondet, quod ficta promissio inducat obligationem fidelitatis, non vero justitiae.

1110. Q. II. An si *Onuphrius* protulisset verba promissoria animo se non obligandi, fuissent vera sponsalia post se trahentia obligationem? R. Sententia affirmativa *Petri de Ledesma* ex eo aliquibus adhuc videtur probabilis, quia obligatio est effectus naturalis promissionis, sicut calefacere est effectus naturalis ignis; ergo sicut posito igne necessario sequitur calefactio, ita posita promissione necessario sequitur obligatio. Contrariam tamen sententiam *Th. Sanch.* dicit esse veriore l. 1. de spons. d. 9. n. 5. et cum eo *D. Bonav.*, *S. Antonin.*, *Sylv.*, *Armilla* et alii, quia velle promittere, et nolle se obligare, non est promittere: ideoque ruit argumentum prioris sententiae, imo potius probat pro secunda, scilicet sicut veri ignis effectus naturalis est calefacere, ita verae promissionis effectus est obligare; exclusio autem obligationis destruit veram promissionem: ergo.

1111. Quid? si quis habeat intentionem promittendi, et se obligandi, sed simul animum non implendi obligationem? R. Talis praeterquam, quod peccet graviter, adhuc vere obligatur, quia vere promittit, et intentio non implendi non tollit obligationem promissionis.

1112. Q. III. An et quomodo peccet fecte promittens matrimonium? R. Peccat, et quidem, per se loquendo, graviter. Ratio est, quia est mendacium graviter perniciosum; decipitur enim alter in re gravi, et adducitur ad repromissionem seriam matrimonii, quod fecte tantum alter promittit. Ita *Sporer* in Theol. sacram. p. 4. c. 1. n. 155. Dixi, per se loquendo; *Sanchez* enim l. c. n. 3. excusat a peccato illum, qui eo pacto fidem daret, ut alter facile colligere posset, jocosè tantum promitti, nec inde damnum aliud sequeretur. Item si quis tantum ex fidelitate promitteret, nec peteret repromissionem, nec aliud damnum oriretur; quia in his casibus non esset mendacium perniciosum.

1113. Q. IV. Ad quid in foro externo teneatur fecte promittens matrimonium? R. Si puella deceptorem apud judicem accuset, et probet, deceptorem verbis promissionem significantibus usum fuisse, hic vero in exceptione fictionis probanda deficiat, compellendus est a judice ad ineundum matrimonium, ut dicitur n. 1119.

1114. Q. V. An fecte promittens matrimonium, et sub spe illius deflorans virginem, teneatur corruptam ducere? R. Probabilius tenetur in conscientia corruptam determinate ducere. Ratio est, quia in contractibus innominatis, do ut des, vel facio ut facias, ubi alter ex sua parte promis-